

S A Ž E T A K

Antun Slavko Kalenić: DE TEXTU HERMANNII TRACTATUS QUI DE ESSENTIIS INSCRIBITUR

(Tekst Hermanove rasprave *O bitima*)

U tumačenju Hermanove rasprave *O bitima* — najprije na temelju Haskinsovih izdavaka, a zatim i na temelju Alonsova zdanja — okušao se veliki broj znanstvenika. I dok su pokušavali razumjeti i protumačiti ovo njegovo djelo, mnogi su primijetili da je Hermanov jezik teško čitljiv, a katkada i posve nesuvisao. Temeljita međutim analiza Hermanovih rukopisa pokazuje da je za tu nečitljivost kriva doduše donekle i loša rukopisna predaja, ali da krivicu ipak ponajviše snosio nemar priredivača spomenutih tiskanih tekstova.

DISKUSIJA O REFERATU A. S. KALENIĆA

Kajetan Gantar:

Utrum Hermannus ille, de quo orationem habuisti, Hermannus Dalmata an potius et rectius Hermannus de Carinthia appellandus est? Nam in plerisque libris et disputationibus nomen Hermannii ita scriptum invenitur. Ut exemplo utar, et Manuel Alonso, vir doctus ille Hispaniensis, cuius in oratione tua mentionem fecisti, hunc titulum editioni suae dedit: Hermann de Carintia, De essentiis (Santander 1946). Et Hermannus ipse patriam suam hoc vocabulo descripsit. Nam in descriptione terrarum Europae, quam Hermannus in Libro introductorio in astrologiam Albumazar fecit, hic locus invenitur:

Grecie (sc. partes) octo: Dalmatia, Epirus cum Misia, Dardania, Attica (cuius due partes Boetia et Paenelopensis), deinde Thessalia (cuius due partes Pieria et Archadia), deinde Macedonia, Achaia, Lacedemonia. Istrie tres (sc. partes), maritima et montana, in medio patria nostra Karinthia.

Hic locus tam clarus est, ut nihil de origine Hermannii in dubio relinquatur. Praeterea et in titulo manuscripti Lovaniensis MS 217 (saec. XII) ad versione Astrolabii haec sententia adscripta erat: Hermannus iste astrologus fuit natus de Karinthia, non Contractus de Suevia. Cf. H. Haskins, *Studies in the History of Mediaeval Science* (Cambridge 1924), p. 54, n. 63. At hic codex, ut me bibliothecarius Lovaniensis E. Massaux per litteras certior fecit, bello mundano secundo (in mense Maio 1940) exstinctus est.

Haud scio an epitheton „Dalmata“ apud Hermannum synonymum pro epitheto „Sclavus“ sit, ut saepe apud scriptores mediae et humanisticae aetatis occurrat. Cuius significationis plura exempla nunc modo Bruna Kuntić — Makvić in oratione sua attulit.

Antun S. Kalenić:

Novi disputationem tuam, quam hac de quaestione iam pridem publicavisti ibique expositam demonstrationem in honore habeo. Sed qui varietatem nominum Hermannianorum ad argumentum expositionis meae minus pertinere existimavi, totam quaestionem tacite praeterire ausus sum. Quamquam rem fortasse annotatione saltem quadam dignam fuisse non diffiteor.